



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.40. Canones septimæ Synodi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII. ptimæ, cuius Græci in suo Menologio duo-  
 A. C. 787. decimo die Octobris mentionem faciunt.

## §. XL.

*Canones septimæ Synodi.*

In Synodo Universali Nicena viginti duo  
 Canones conditi. In primo autem  
 præcipitur, ut omnes antiqui Canones  
 observentur, nimirum Canones Aposto-  
 lorum, Canones sex Conciliorum tam  
 Universalium, quam Provincialium, &  
 Patrum. Qui ad Episcopalem gradum  
 provehitur, Psalterium omnino noverit,  
 eumque Metropolitanus examinet, an  
 prompto paratoque sit animo ad legen-  
 dos Canones & Sacram Scripturam, cui  
 vitam moresque suos conformet, & po-  
 pulum instruat. Nimirum Iconoclasta-  
 rum Christianos persequentium furor pro-  
 hibissimos quosque ad se remotissimis in  
 locis occultandum coegerat, unde rusti-  
 cos mores contraxerant, studio litterario  
 incumbendi commoditate privati. Hinc  
 satis est Patribus Concilii exigere, ut  
 summe necessaria sciant, & cetera discere  
 cupiant. Examen, quod Ordinationi  
 Episcoporum præmittitur, hujus Dis-  
 ciplinæ vestigium esse videtur.

Electio Episcopi, Presbyteri, aut Dia-  
 cono facta Magistratus Auctoritate se-  
 cundum Canones semper nulla sit. E-  
 piscopi sub quocunque prætextu aurum  
 vel

tom. 7. Conc.

p. 595.

c. 2.

Bals. hic.

c. 3.

vel argentum, aut quamcunque rem a-  
 liam ab Episcopis, Clericis vel Monachis  
 sibi subditis non exigant. Nemini fun-  
 ctiones suas sinistro affectu impulsu inter-  
 dicant, aut Ecclesiam claudi jubeant,  
 Officium Divinum interdiciant, iram &  
 vindictam in res carentes sensu exercen-  
 tes. Quod si quis fecerit, eadem men-  
 sura eidem retribuatur. In hoc loco

Sæcul. VIII.  
 A. C. 787.

Sacra Synodus videtur simpliciter (\*)  
 damnare Interdicta localia, quorum ex-  
 empla in Occidente vidimus. Cum qui-  
 dam Clerici ordinationis suæ causa lar-  
 gas donationes Ecclesiæ fecissent, id i-  
 psam iisdem tumoris, aliosque, quos me-  
 rita sua ad eundem Ordinem gratis eve-  
 xerant, spernendi occasio erat. Horum  
 insolentiam ut Patres premerent, ulti-  
 mos in Ordine suo stare jubent, & nisi  
 humiliantur, graviores pœnas minantur.  
 Canones antiqui contra Simoniam re-  
 petuntur. Illæ etiam leges Ecclesiasticæ  
 confirmantur, quibus Concilia Provin-  
 cialia

Sup. Lib.  
 XXXIV.  
 §. 53.

Can. 5. Et ibi  
 Bals.

c. 6.

Ii 4                      cialia

(\*) Sacra Synodus non videtur mihi Inter-  
 dicta localia simpliciter damnare, sed tantum  
 affectu pravo pronunciata. Verum nec existi-  
 mo, quod P. Balduinus ad hunc locum putat,  
 Fleurium voluisse hac Reflexione Hæreticis fa-  
 vere, sed potius secundum mentem ipsius raro  
 huic Censuræ locum esse oportere, cum nocen-  
 tes innocentesque eadem pœna involvantur.

Sæcul. VIII. cialia singulis annis celebrari jubentur,  
 A. C. 787. & Excommunicatio pronunciatu-  
 tra Magistratus, quicunque iis celebra-  
 dis obstacula posuerint. Episcopi Me-  
 tropolitæ ab Episcopis ad Synodum ve-  
 nientibus vel equum vel quæcunque alia,  
 quibus ad iter faciendum instructi sunt,  
 non exigant.

Iconoclastæ Reliquiarum hostes, con-  
 temptis Traditionibus, nulla Sanctorum  
 Martyrum ossa in Ecclesias recens ædifi-  
 catas inferebant. Hinc Sacra Synodus  
 præcipit, ut in Ecclesiis, in quibus nullæ  
 sunt, inter consuetas preces Reliquiæ de-  
 ponantur, & Episcopis cum commina-  
 tione Depositionis prohibet, ne ullam  
 Ecclesiam sine Reliquiis consecrent. Om-  
 nes Iconoclastarum libri ad Palatium  
 Patriarchale Constantinopolitanum de-  
 ferantur, inter libros ceterorum Hære-  
 ticorum asservandi. Nemini eos sub  
 pœna Depositionis vel Excommunicatio-  
 nis occultare liceat.

Canones Sy-  
 nodi Nicenæ  
 secundæ.

c. 7.

c. 9.

c. 10.

c. 14.

Multi Clerici vagabundi Constanti-  
 nopolim veniebant, Viris potentibus a-  
 dulabantur, & in eorum Oratoriis Mis-  
 sam legebant. Sacra Synodus prohibet,  
 ne ejusmodi Clerici in quamcumque do-  
 mum vel locum sine licentia sui Episcopi &  
 Patriarchæ Constantinopolitani recipian-  
 tur. Et qui licentiam in domibus Opti-  
 matum manendi obtinuerunt, negotia  
 tem-

temporalia non curent, sed parvulos aut familiares instruant, & Sacram Scripturam prælegant.

Sæcul. VIII.  
A. C. 787.

Nemo in Ecclesia ex suggestu legat, nisi impositionem manuum Episcopi, id est, Ordinem Lectorum acceperit, etiam si Tonsuram habeat. Idem statuitur de Monachis; sed Abbati licet ordinare Lectorem in suo Monasterio, si modo ipse Presbyter sit, & impositionem manuum Abbatibus dari solitam ab Episcopo acceperit. Chærepiscopis quoque, accepta Episcopi licentia, Lectores ordinare permiffum sit.

Clericus duarum Ecclesiarum Syllabis non adscribatur; sed qui non habet, unde sustentetur, aliquam artem exercendam sibi deligat, quæ inopiam sublevet. Hæc Regula solum de Clericis in Civitate Constantinopolitana degentibus accipienda est, nam ruri duabus Ecclesiis servire ob paucitatem hominum licet. Quælibet Ecclesia suam habeat Oeconomum, & si aliquæ non habeant, Metropolita Ecclesiis Episcopalibus, & Patriarcha Ecclesiis Metropolitanis Procuratorem constituat.

Iconoclastæ odium in Monachos eo usque extendebant, ut omnes illos, quos modestia in vestitu commendabat, deriderent; unde vestium luxus inter Clericos irrepsit. Itaque Sacra Synodus om-

I i 5                      mnibus

c. 15.

c. 11.

c. 16.

c. 13.

Sæcul. VIII. omnibus Clericis prohibet, ne incedant  
A. C. 787. splendidis & insignibus vestibus, non ex

c. 19.

Canones.

serica textura variatis, nec alieni coloris  
additamentis splendentibus. Nec etiam  
unguentis delibuti prodeant. Domus  
Episcopales & Monasteria ab Iconocla-  
stis ad usus profanos conversa restitui ju-  
bentur. Simonia in recipiendis Novitiis  
ad Monasteria sub iisdem pœnis ac in  
Ordinationibus prohibetur, videlicet Ab-  
bas Clericus ob hanc rem deponen-  
dus est, Abbatissa autem vel Abbas Lai-  
cus deijciendus, & in aliud Monasterium  
detrudendus. Quod autem Parentes  
dotis nomine offerunt, aut quod neo-  
fceptus ex propriis bonis affert, Mona-  
sterio acquiratur, sive Monachus ille in  
Monasterio remaneat, sive discedat, nisi  
forte ex Præpositi sui culpa discedere  
compellatur.

c. 20.

c. 22.

Ergo Synodus non prohibet omnino  
ab ingredientibus Monasterium quid-  
quam accipi, sed solum pacta Simoniaca  
removet. Monasteria duplicia virorum  
nempe & fœminarum imposterum non  
ædificentur, quæ vero jam fundata sunt,  
secundum Regulam S. Basilii permaneant.  
Monachi in Monasteriis fœminarum nun-  
quam dormiant, nec cum Sanctimonia-  
li aut alia muliere, nisi magna necessitas  
suaserit, comedant.

Quidam

Quidam Judæi conversionem simulabant, & secreto judaizabant. Sacra Synodus prohibet, ne tales ad Communionem, nec ad preces, nec ad ingressum Ecclesiæ admittantur. Liberi eorum non baptizentur, nec ipsis mancipia coemere liceat.

Sæcul. VIII.

A. C. 787.

c. 8.

Istud de emptione mancipiorum Christianorum intelligendum. Hæc in Canonibus septimæ Synodi notatu digna mihi visa.

v. th. Bals.

Tarasius Patriarcha datis ad Papam litteris, de omnibus quæ acta fuerant, præsertim de recepta ipsius Epistola rationem reddidit. Significabat etiam, Constantinum & Irenem Sanctas Imágenes ubique tam in Ecclesias quam in Palatia reduxisse. Ceterum Tarasius post celebratum Concilium ad eliminandam Simoniam totus incubuit. Scripsit hæc de re ad Hadrianum Papam privatam Epistolam, in qua dicit, maximam in conservanda Sacerdotii puritate gloriam consistere. Id ita accipiendum, quod Ecclesia Romana hac ex parte irreprehensibilis esset. De hac re data etiam ad Abbatem, nomine Joannem, Epistola, testatum facit, Monachos ad Synodum querelas attulisse, quod plerique Episcoporum Simoniace essent ordinati. Estque conjectura, istud ansam dedisse ad Canones contra hunc abusum condendos.

To. 7. Conc.  
p. 523.vit. ap. Boll.  
25. Febr. to.  
5. to. 7. Conc.  
p. 630.

p. 639.

Hadria-

Sæcul. VIII.

A. C. 787.

*Anast. in  
Hadr.**Id. præf.*

Hadriani Papæ Legati Romam red-  
ces autographum Græcum Actorum  
Concilii attulerunt, quod Papa, suo jussu  
in Latinam linguam translatum, in Bi-  
bliotheca sua deposuit. Cum vero hæc  
versio de verbo ad verbum alligata vix  
intelligi posset, & nemo operæ pretium  
esse crederet, eam describere aut om-  
nino legere, Anastasius Bibliothecarius  
permotus est, ut post annos ferme cen-  
tum alteram Versionem adornaret. Hæc  
Anastasio Versio, & alia ea antiquior, sed  
melior quam prima, ad nostram usque  
ætatem pervenerunt.

## §. XLI.

*Concilium Calcuthense.**to. 6. Conc.  
p. 1861.*

Cum Hadrianus Papa duos Legatos,  
Gregorium Episcopum Ostiensem,  
& Theophilactum Episcopum Tuderti-  
num in Angliam misisset, per Franciam  
commeantibus Rex Carolus, ut Papæ  
gratum faceret, Vighodum Presbyterum  
& Abbatem itineris comitem dedit. In  
Angliam pervenientes primo a Jamber-  
to Archiepiscopo Cantuariensi excepti,  
inde perrexerunt ad Aulam Offæ Regis  
Merciorum, cui & Chuniulpho Regi  
West-Saxonum tunc forte in eundem  
locum convenienti Epistolas Papæ red-  
diderunt. Consilio deinde cum illis Re-  
gibus, Episcopis, & Proceribus inito Le-  
gati